



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1312 Usque Ad Annum 1351

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1767**

**VD18 9011826X**

§. 56. Ecclesia Hungarica.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66305)

*Ecclesia Hungarica.*

Eodem anno Papa Joannes quibusdam in Hungaria Religiosis, qui S. Paulum primum eremitam in patronum suum cooptaverant, permisit, ut sequerentur S. Augustini regulam, & in suis comitiis eligerent Priorem Generalem, qui mores ipsorum inspiciendi ac emendandi jus haberet. Concessit autem rogatu Caroli II seu Charoberti Regis Hungariæ per diploma datum 22 Nov. an. 1328. Primæ, quas sciam, hæ sunt litteræ authenticæ, quæ horum Regularium mentionem faciant: indicant tamen, eos jam fuisse in Hungaria & alibi. Ut idem Rex Papæ conquerebatur, Ecclesiastici, qui jure decimarum gaudebant, eas exigebant duriter a Cumanis, Valachis, Sclavis, cæterisque ethnicis Christo adjunctis. Unde fiebat, ut novi Christiani his pensionibus haud assueti dicerent se invitatos ad catholicam fidem amplectendam, ut bona sua Clero traderent: quæ res multos avertibat a religione sana, cui se libenter addixissent. Papa igitur per litteras Præsules Hungariæ jussit erga recens traductos ad sacra Ro-

*Rayn. n. 83.**Rayn. præ-  
termiff. ibid.*

Sæcul. XIV. A. C. 1328. mana, donec in cultu veri Dei plane confirmati fuerint, in colligendis decimis magnam humanitatem ac indulgentiam adhibere, ut ne sentirent se nimio pressos onere, quin etiam reliquos ad fontem salutis accerferent. Dabat 8 Maji.

## §. LVII.

*Antipapa versatur Pisis.*

Imperator Ludovicus Bavarus continenter Pisis agens 12 Decembris ibi promulgandam curabat sententiam contra Papam Joannem Romæ datam eodem anno octava decima Aprilis die, qua ei dignitatem adimere se perhibebat. Hac in sententia contendit tres sanctiones, *Ad conditorem, Cum inter nonnullos, & Quia quorundam, esse hæreticas, impugnatque fusissime argumentis & auctoritatibus toties prolatis per Spirituales, ut se vocabant, Fratres, ita, ut liquido constet eam sententiam esse opus Michaëlis Cæsenatis, vel alius cujusdam ex illis: atque ridiculum est sic loquentem fingi Imperatorem non litterarum sed belli studiis assuetum, qualem ipse se dicit. Dissertationem illam fastidium creantem ita concludit: Jacobum Cadurcensem, quod sparserit hos contra fidem*

*Sup. §. 37. Baluz. 2. vit. p. 523.*

*p. 543.*